

XIII. fol. eod. p. 2. *Vita beati philippi apostoli.* Initium: *Cum post ascensionem domini predicasset gentibus in scitia beatus philippus &c.* Geminam huic *ἐπιτομῶν* exhibent *Bollandiani* ad diem 1. *Maji* p. 11. quemadmodum omnibus tribus familia apud *Mombritium* cit. inuenias.

XIV. fol. 125. praeuio tamen *Indice Incipit Gemma. De diuinis officijs per circulum Anni.* Ut ad *Cod. DCCXCI.* observauimus, *Honorii Augustodun.* est. Praeit *Epistola Solitariorum: Agmen in castris aeterni regis &c.* sed *Opus* in tractatione de *Oratione Dominica* ad illa verba: *cum nos filio eius uniti* — abrumpitur; quod dolendum, cum *τα σωζόμενα* ab eleganti manu sint.

## CCCXXVII.

374 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 92. f. per duas columnas admodum nitide scriptus, rubricisque pernotatus est *Tractatus de Deo* ex intima *Theologia scholastica* petitus, cuius *Praefatio* excidit, unde nomen *Autoris Raymundi* e calce praeoccupare cogor. Initium ejus nunc est: *De prima distinctione. Distinctio ista in duas partes est diuisa. Prima est de principijs. Secunda est de regulis. Principia enim sunt XVIII. videlicet. bonitas. Magnitudo. Eternitas. Potestas. Intellectus &c.* Quo loco habita fuerint *Autoris subtilitatibus Aristotelicis* penitus innutriti aevo linguarum praesidia, liquet fol. 87. ubi de *Sensu*

*Autoritatis* tanquam genere agens quatuor illi species subijcit, videlicet *Litteram, Allegoriam, Tropologiam* et *Anagogiam* et addit: *Et quia ista Vocabula sunt Graeca et barbara, impediunt linguam latinam. Vnde propter hoc volumus venari istas species quatuor modis. ut euitemus confusionem umbram et sensum enigmatum grecorum ut ad clarum spiritum latinorum veniamus.* Itaque vocabula *Fundamentum, paries, tectum, habitatio* substituit. De *Libro* suo ita finit: *Qua de causa correctioni ipsum submitto romane ecclesie sacrosanctae tamquam catholicus christianus.* Additur literis grandiu-sculis: *Ad laudem et honorem Domini nostri ihesu christi Et beate Marie semper Virginis matris eius. etiam angelorum et sanctorum omnium paradisi. Factus est Liber iste quibus ipsum offero et comendo et ipsum per consequens Patri sanctissimo domino Clementi V°. Et venerabilissimis dominis Cardinalibus recomendo. Et excellentissimo philippo francorum Regi Domino vna cum clericorum parisiensium reuerendissima facultate. Supplicando prout possum quatenus videant librum istum et ipsum promoueant multiplicent et exalcent. quia dei factus est ad honorem. Finiuit Raymundus librum istum diuina gracia adiuuante apud montepessulanum in Mense May. Millesimo Trescentesimo 8°. Incarnationis domini nostri ihesu christi. Deo Gratias. Amen. Est hic famosus ille Raymundus Lullus Majoricensis tertii Ord. Francisc. notaturque*

notaturque Tractatus noster in edit. *Opp. ejus Moguntiae T. I. 1721. in P. III. Catalogi n. 23. p. 7. titulo: Ars Divina s. Liber de Arte Dei.* Initium, quod nobis deest, ibi esse dicitur: *Ad intelligendum et diligendum Deum fecimus istam artem.* Unde conjicio, eodem collimare *Waddingum in Bibl. Ord. p. 203. ubi Librum ad intelligendum Deum excitat.*

## CCCXXVIII.

617 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 116. 4. per duas columnas minute, sed nitide exaratus, olimque ad Canonicorum Reg. Collegium in *Voraw Stiriae* pertinens, ut in Theca anteriore notatur, sequentia complectitur: I. Collectanea quaedam *Theologica* de Deo, alia e *Jure Can.* ad quorum calcem Universitas *Viennensis* incepisse dicitur *Anno Domini 1365.* alia demum *Astronomica* de Planetis et Eclipsibus, quibus etiam Figurae adjunguntur.

II. fol. 9. *Incipit tractatus sperre.* Notus ille videlicet *Job. de Sacro Bosco* seu *Busto* toties editus, diversorumque Commentariis illustratus, de quo, si lubet, consulendus *Tannerus* in *Bibl. Britan. Hibern.* Ejus initium: *Tractatum de spera IIII. distinguimus capitulis &c.*

III. fol. 13. *Quaestiones de Paradiso. Vtrum mundus sit eternus. Vtrum plures sint mundi. Quomodo sit mundus unus. Quod*

*mundus sit finitus. De ordine universi. Vtrum corpora celestia influunt in inferioribus. Quod rationibus non potest demonstrari mundum eternum uel non. Omnia levis momenti.*

IV. fol. 14. p. 2. Interpretatio Vocum Biblicarum ordine Alphabeti. Initium: *Abba sicut dicit glossa Galat. 4. ebraicum est. In interpretationibus dicitur quod syrum est &c.*

V. fol. 19. p. 2. Puneta quaedam Haereticis examinandis proponenda, et primum quidem *Paupribus de Lugduno*, dein *Leonistis.* Initium: *Queratur ab heretico examinando si aliqua sacra uerba didicit &c. Heretici leoniste iactant se de perfectione uite &c. Confer Cod. CCXC.*

VI. fol. 20. *De Antichristo.* Initium: *Antichristus veniet in tempore habundancie peccatorum ut dicitur Dan. VIII. &c.* Conjecturae fabulosae ab ipsis Typographiae exordiis lat. et germ. pluries typis excusae.

VII. fol. 21. absque inscriptione Opusculum *Reineri* seu *Rinheri Sacconi* jam Cod. CCXC. indicatum de *Waldensibus, Catharis, Leonistis, Patarenis, Manichaeis &c.* verum hic alio ordine et tam ab Exemplo mox citato, quam ab eo, quod in *Bibl. PP. Lugdun. T. XXV. p. 262.* legitur, abludens. Fol. 22. p. 2. aetas illius proditur his verbis: *Anno M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. compilatum est opus a fratre predicto sed prius heretico.*